Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

Quis mihi ruricolas aptabit carmine Muſas;

apud alterum vero:

Qui mihi ruricolas optavi carmine Muſas.

Cuſpiniani primum fuiſſe praeclarum hunc Codiculum, docet Hexaſtichon thecae poſticae inſcriptum: *Liber ad Lectorem.*

Scire cupis, cuinam liber ipſe ego ſervio ſervus?
Dicere ſi poſſem, lingua parata foret.
Tu tamen hoc triplices monogrammate diſce figuras,
Quis ſine me domini nomina ſcire potes.
Hic quondam muſas, medicam ſed nunc colit artem,
Hęc ſtudia, has artes Cuſpinianus amat.

Oblitus eſt, quod memorat, *Monogramma* adpingere. Eſt vero illud, ut in aliis ejus Libris comparet, tale ⟨M⟩. Quod lege: *Cuſpinianus Medicus Poeta.* Igitur parum abit ab illo *Celtis* ⟨II⟩, quod legendum *Conradus Celtis Protucius Poeta.* Haec monere viſum, quia Libri alterutro ſignati paſſim per Bibliothecas vagantur. A *Cuſpiniano* porro Exemplum noſtrum ad *Joh. Fabrum* Ep. Vienn. devenit, id, quod teſtatur non ſolum anteriori thecae adglutinata Formula impreſſa, ſed etiam principio et calci manu adſcripta, et quidem manu *Joh. Sebaſtiani Pfuſer*, de quo Viro ad *Lutherum* deinceps digreſſo dixi in vernac. *Memorabilib. Bibl. Garell.* p. 293. et in *Hiſt. Typogr. Vien.* p. 431. Fuit is igitur juvenis in contubernio et diſciplina *Fabri*, qui ſi ſupervixiſſet, quod Magiſtris toties uſuvenit, dicere poterat:

Deplorata Coloni
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.

CCXXXII.

U. 22 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 103. f. oblongo nitide exaratus, rubricis ubertim diſtinctus, et quondam docti ICti noſtri *Joh. Alex. Braſſicani* continet *Auroram*, ſive Biblia metrica *Petri de Riga*, qui Can. et Cantor Eccleſiae *Rhemenſis* diem obiit a. 1209. Operis hujus Exemplaria X. deſcripſimus *Vol.* ſuperiore a *pag.* 327. *Codd.* CXXV —XXXIV. undecimum vero *Vol.* praeſenti. Dabimus igitur et praeſentis *διαγνωσιν*. *Incipit Prologus in novo teſtamento:*

Poſt